



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1606. usque ad annum 1610

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1776

VD18 90118820

§. 10. Actum de gratia ex seipsa efficaci. Congregatio XII. XIII. XIV.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67222](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67222)

Sæc. XVII. Principatus summo Pontifici attribue-
 rit: an vero hæc caussa subfuerit, val-
 de ambiguum est

§. IX.

Synodus Avenionensis.

*Gallia Chri-
 stiana San-
 marth. t. I.
 p. 836. ad
 ann. 1606.
 Abbrégé de
 l'hist. Eccl.*

Hoc anno Joannes Franciscus Bordi-
 nus patria Romanus Presbyter Con-
 gregationis Oratorii ex Cabellicensi Epi-
 scopatu ad Avenionensem translatus
 die vigesima quinta Octobris circa di-
 sciplinam Ecclesiasticam Synodum cele-
 brabat, cujus tamen decreta cum præter
 ea, quæ ceteris ejusmodi Synodis com-
 munita sunt, nihil singulare complectan-
 tur, iis sigillatim recensendis super-
 sedemus.

§. X.

*Actum de gratia seipsa efficaci. Con-
 gregatio XII. XIII. XIV.*

*Hist. Congr.
 de auxil.
 l. 4. c. 14.*

Dum interim Catholica fides variis
 mediis in Anglia opprimebatur,
 Paulus V. Pontifex Maximus Gratia
 doctrinam ab omni errore Romæ toto
 studio vindicare conatus est. Hunc in
 finem coram ipso die decima Januarii
 duodecima habebatur Congregatio, in
 qua Bastida Jesuita, ut Thomistarum
 physicam Prædeterminationem cum Cal-
 vini

vini erroribus componeret, tam prolixè perorabat, ut evolutò præscripti temporis intervallo summus Pontifex Jesuitis significari juberet, quatenus in proxima Sessione suas contra hanc Prædeterminationem rationes brevius, quam soliti essent, proferrent, simulque Censoribus illud traderent scriptum, quo Thomistarum doctrinam cum Calvinii sententia conferre nitebantur. Die autem vigesima quinta ejusdem Mensis tertia decima celebrata est Congregatio, in qua rursus de Gratia ex se efficaci rationibus Theologicis agebatur: hanc in rem Bastida primo ex libertatis læsione, secundo ex auxilii sufficientis everfione, ac tertio ex Dei influxu in peccatum sua petebat argumenta, quæ tamen P. Lemosius diluit, demonstrans primo, adeo non lædi libertatem, ut potius ea perfectius adstruatur, secundo, argumentum de auxilio sufficienti jam dudum a S. Thoma *quæst. 1. de potentia art. 1. ad primum* fuisse solum, ac tertio Calvinii influxum in peccatum toto cælo distare a Thomistico, luculenter comprobabat. His addidit, Bastidæ hallucinationem in eo versari, quod is de physica prædeterminatione, quæ ad naturæ ordinem spectat, egerit, cum tamen in præsentiarum duntaxat de gratia ad bonum libere exercendum

Sæc. XVII.
A. C. 1606.

Sæc. XVII. cendum præmovente ageretur. Postquam
 A. C. 1606. vero Lemosius Bastidæ objecerat, quod
 Christus efficacissime fuerit prædetermi-
 natus Patris sui præcepto ad mortem,
 & tamen liberrime, ac meritorie ean-
 dem subierit, Bastida negans in Christo
 fuisse potestatem dissentiendi, inde in-
 ferebat, in homine prædeterminato,
 deesse potestatem ad consentiendum &
 non consentiendum. His diu agitatæ
 Censores die prima Februarii rationibus,
 utrinque expensis censuerunt, *doctrinam*
de gratia ex se efficaci esse tutam, & argu-
mentis adversariorum non obstantibus per-
sistendum esse in decretis. Ceteris vero
 omnibus solus refragabatur Bovius
 Carmelitani Collegii Regens, olim
 Societatis Alumnus.

§. XI.

Congregatio XV. XVI.

Hist. Con-
trov. l. 6.
c. 21. & 22.
Serry hist.
Congr. l. 4.
c. 16. & seqq.
Acta Lemos-
colum. 1176.

Eadem hæc quæstio rursus die decima
 quinta Mensis Februarii in Congre-
 gatione decima quinta agitabatur: Hanc
 in rem Bastida fuscè admodum probare ag-
 gressus est, quod Divus Thomas non ad-
 miserit ejusmodi præmotionem, quæ
 ita physice voluntatem prædeterminet,
 ut cum ea nec dissensus conjungi, nec
 sine illa actus elici valeat. Verum hu-
 jus asserti sensum explicans Lemosius
 sub-